

si indignabatur Francus, & haud contentus non vinci, etiam vincere volebat. (3) *Sessionis promiscuae Crus. d. l. n. 16.* id solitum in actibus Extraordinariis in Comitibus *Crus.* (ex *Arumæo*) *lib. 1. c. 1. n. 21.* Et nonnunquam in Conviviis, quod, si Novellis fides, nuper Legatus quidam observavit Viennæ (4) *Sortis* quod probat *Venturus de Valentia*, improbat *Crus. l. 5, 27.* (5) *Mensæ orbicularis*, elegans remedium, quod suadet etiam *Crusius l. 7, 11.* sed non addidit quàm multa prærequirat. Scilicet *mensam in medio triclinii positam*, ne dignior videatur, qui à tergo tutus se parieti applicare potest; *quatuor januas sibi oppositas*, alioqui is dignior habetur, qui januam prospicere potest, ad vitandas infidias; *in omnibus lateribus fenestras* alioqui qui luci nulli oppositus est inferior videbitur. Imò servatis his omnibus cautelis digniorem putat *Schwenkerus delic. Mathem. p. 7. Prop. 28.* qui orientem prospicit; sic planè rueret remedium mensæ orbicularis, sed ab oriente dignitas longius petita est. (6) *absentia* ejusque mutua (alioqui qui solus abest possessione cessisse videbitur) de quo remedio *Arumæus de Comit. c. 7. n. 115.*

X X I X.

Concursus Perplexi ad HÆREDITATES ab intestato exempla hæc observamus: XIV. *ex l. 5. §. 2. D. ad Sct. Tertull.* CASUS est: Avus emancipat nepotem, nepos superstitem matre (A), avo (B), & patre (C.) moritur, quid juris? FUNDAMENTA LOCATIONIS: (1) *mater excludit avum l. 2. §. 15. D. eod.* (2) *avus patrem per l. 2. pr. §. 1. 2. D. si quis à parente manumiss.* (3) & tamen pater matrem per *d. l. 2. §. 15. D. ad Sct. Tertull.* Quid igitur? DECIDIT Paulus *Jetus in d. l. 5. §. 2.* avum præferendum. Causam, ipse viderit. Merò certè Juri consonantius, concurrere avum, patrem matrem. Occurrit CASUS non absimilis XV. in *l. 2. §. 15. D. eod.* Defunctus reliquit superstitem, patrem naturalem (A,) sed minimam